Quelle: http://manuscripta.at/?ID=387
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

odistis. Si fratres solum amaretis, non dum eratis perfecti; si autem fratres odi
tis quid estis? Ubi estis? Respiciat unusquisque cor suum, non teneat
odium contra fratrem pro aliquo verbo duro; pro contencione terre ne fiat
terra. Quisquis enim odit fratrem suum, non dicat quia in lumine ambulat.
Quid dixit? Non dicat quia in Christo ambulat. Qui dicit esse se in luce
et odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc. Nescio quis enim ex pa
gano christianus factus est. Intendite. Ecce tenebre erant, quando pa
ganus erat; modo iam christianus factus est, Deo gratias. Omnes gratulantur;
recitat apostolus gratulans: Fuistis enim aliquando tenebre, nunc autem lux
in Domino. Adorabat ydola, adorat Deum; adorabat que fecit, ado
rat qui eum fecit. Mutatus est, Deo gratias. Omnes gratulantur christiani; quare?
quia iam adorator patris et filii et spiritus sancti, et detestator demoniorum
et ydolorum est. Adhuc iste Iohannes sollicitus est; multis gratulantibus adhuc
suspectus est. Fratres, magnam sollicitudinem libenter amplectamur. Non
sine causa mater sollicita est de nobis, cum alii gaudent. Matrem
dico caritatem; ipsa enim habitabat in corde Iohannis cum ista diceret.
Quare, nisi quia aliquid timet in nobis, et cum iam omnes nobis
gratulantur? Quid est quod timet? Qui dicit se esse in lumine. Quid est
hoc? Iam dicit se esse christianum, et fratrem suum odit, in tenebris est usque
adhuc. Quod exponere non est opus, sed quod gaudere si non fiat, aut quod plan
gere si fiat. Qui diligit fratrem suum in lumine manet, et scan
dalum in eo non est. Obsecro per Christum: pascit nos Deus, refecturi sumus
corpora in monte Christi, et aliquantum refecta sunt et reficienda sunt;
mens nostra pascatur. Hoc quia dicturus sum dico. Nam ecce iam fi
nitur lectio. Sed ne forte ex tedio minus adtendas. Audiamus quod
maxime necessarium est. Qui diligit fratrem suum in lumine ma
net, et scandalum in eo non est. Qui sunt qui patiuntur scandalum aut
faciunt? Qui schandalizantur in Christo et in ecclesia. Qui in Christo scan
dalizantur, tamquam a sole uruntur; qui in ecclesia, tamquam a luna. Dicit
autem psalmus: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Id est, si tenu
eris caritatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in ecclesia; nec